ORIGENES. MARCUS FRATER
Admont, 2. Hälfte 12. Jh.
Seite 9v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26142
Copyright: Admont, Benediktinerstift



interpellans pro nobis. Ibi inquam
require quatinos istos ordines
stationesque castrorum. Ibi israelita
ca agmina et excubias cerne
sanctorum. et ibi illa que hic nunc querimus
primitiuorum sacramenta rimare.
Sed et ego non audeo illuc solus as
cendere. non audeo me in hos tam
secretos mysteriorum recessus
sine alicuius auctoritate mag
na doctoris immergere. Non
possum illuc solus ascendere nisi
me precedat paulus. et ipse mihi
uiam noui huius et ardui itineris
ostendat. Ipse ergo apostolorum max
imus quisciret multas esse non
solum in terris. sed et in celis ecclesias
ex quibus et septem quasdam iohannes
enumerat. ipse tamen paulus
ostendere uolens quandam esse
preterea primitiuorum ecclesiam.
dicit ad hebreos scribens. Non
enim accessistis ad ardentem et
tractabilem ignem. sed accessistis
ad montem syon. et ciuitatem
dei uiuentis hierusalem celestem.
et multitudines angelorum
laudantium. et ecclesiam primi
tiuorum asscriptam in celis. Igitur
moyses per quatuor castra
populum dei diuisum describit in
terris. et apostolus .iiii. ordines sanctorum
describit in celis. ad quos singulos
unumquemque nostrum dicit accedere.
Non enim omnes ad omnes accedunt.
sed alii quidem accedunt ad mon
tem syon. horum autem meliores
accedunt ad ciuitatem dei.
uiuentis hierusalem celestem.
Qui autem et his eminentiores sunt
accedunt ad multitudinem
collaudantium angelorum. qui
autem super omnes istos sunt accedunt
ad ecclesiam primitiuorum asscriptam
in celis. Si ergo ex his intellexisti
quis sit ordo primitiuorum. et quod sit
nominis istius sacramentum.
prepara te et enitere quantum
uales si forte actibus. uita. mo
ribus. fide. institutisque proficias
ut possis accedere ad ecclesiam
primitiuorum que asscripta est in
celis. Quod si non tantum uales sed es
paulo inferior. accede ad
multitudinem collaudantium
angelorum. Quod si nec ad istum